



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

V. De dignitate Sacramenti, & statu Sacerdotali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Præsta Domine Deus salutaris
meus, ut cum frequentatione my-
sterii tui crescat devotionis affectus,

C A P U T V

*De dignitate Sacramenti, &
statu sacerdotali.*

VOX DILECTI.

Si haberet angelicam purita-
tem, & sancti Joannis Bapti-
stæ sanctitatem; non esses dignus
hoc Sacramentum accipere, nec
tractare.

Non enim hoc meritis debetur
hominum, quod homo consecret
& tractet Christi Sacramentum, &
sumat in cibum panem Angelorum.

Grande mysterium, & magna di-
vinitas Sacerdotum: quibus datum
est, quod Angelis non est conces-
sum.

"Soli namque Sacerdotes ritè inEc-
clesia ordinati, potestatem habent
celebrandi, & Corpus Christi conse-
crandi.

Sacerdos quidem minister est
DEI,

DEI, utens verbo D E I, per iussio-
nem & institutionem DEI: DEUS
autem ibi principalis est auctor, &
invisibilis operator, cui subest om-
ne, quod voluerit, & paret omne
quod jusserit.

2. Plus ergo credere debes D E O
omnipotenti, in hoc excellentissimo
Sacramento, quam proprio sensu
aut alicui signo visibili.

Ideoque cum timore & reveren-
tia ad hoc opus est accedendum.

Attende tibi, & vide, cuius mi-
nisterium tibi traditum est per im-
positionem manus Episcopi.

Ecce sacerdos factus es, & ad cele-
brandum consecratus: vide nunc,
ut fideliter & devotè in suo tempore
Deo sacrificium offeras, & teipsum
irreprehensibilem exhibeas.

Non alleviasti onus tuum, sed ar-
ctiori jam alligatus es vinculo disci-
plinæ, & ad majorem teneris per-
fectionem sanctitatis.

Sacerdos omnibus virtutibus de-

T 5

bet

bet esse ornatus , & aliis bonæ vitæ
exemplum præbere.

Eius conversatio non cum popu-
laribus & communibus hominum
viis , sed cùm Angelis in cælo , aut
cùm perfectis viris in terra.

3. Sacerdos sacris vestibus induitus,
Christi vices gerit , ut Deum pro se
& pro omni populo suppliciter &
humiliter roget.

Habet ante se & retro Dominicæ
Crucis signum ad memorandam
jugiter Christi passionem.

Ante se crucem in casula portat,
ut Christi vestigia diligenter in-
spiciat , & sequi ferventer studeat.

Post se cruce signatus est , ut ad-
versa quælibet ab aliis illata clemen-
ter pro Deo toleret.

Ante se crucem gerit , ut propria
peccata lugeat. Post se , ut aliorum
etiam commissa per compassionem
defleat , & se medium inter Deum &
peccatorem constitutum esse sciat :

Nec ab oratione & oblatione san-
cta torpescat , donec gratiam & mi-
seri-

sericordiam impetrare mereatur.

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiastim ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & se omnium bonorum participem efficit.

C A P U T VI.

*Interrogatio de exercitio ante
Communionem.*

V O X D I S C I P U L I .

1. **C**Um tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penso, valde contremisco, & in me ipso confundor.

Si enim non accedo, vitam fugio: & si indignè me ingessero, offensam incurro.

Quid ergo faciam, Deus meus, auxiliator meus, & consiliator in necessitatibus?

2. Tu doce me viam rectam: propone breve aliquod exercitium, sacrae Communioni congruum.

T 6

Utile